27108/P

D. GVILIELMVS ANDREAS HAASE

THERAPIAE ET MATERIAE MEDICAE PROF. PVBL. ORD.

ET

VNIVERSITATIS LITERARVM LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIVS

PANEGYRIN MEDICAM

IN

AVDITORIO IVRIDICO

D. XIV. MENS. DECEMBRIS A. R. S. MDCCCXXX

CELEBRANDAM

INDICIT

Inest: de vsu hydrargyri in morbis non syphiliticis

XXIII.

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK

In vltimis duabus, quas non ita pridem emisi, prolusionibus de curanda obstructione et induratione viscerali arteriosa, h. e. ea, in qua non arteriae quidem ipsae obstructae sunt, sed tamen primaria earum aegrotatione organo adducitur id, quo obstruatur atque induretur, ita disserui, vt eam in vere inflammatoriam, quae vigente inflammatione et in eius fastigio veniat, neque natura sua ab ipsa inflammatione abesse possit, dispertirem, atque in eam, quae oriatur decrescente iam inflammatione et imminuta manifesto eius violentia: tum vero, quae pro sua cuique natura vtrique conueniat sanandi ratio, adderem, in eaque re inprimis hydrargyri in vniuersum vsurpandi rationem haberem, adiunctis potioribus quibusdam ac necessariis praeceptis, quae medicamenti adhibendi copiam aptissimamque, qua vsurpetur, morbi periodum spectarent, a prudenti medico in hoc morborum genere sedulo exsequendis.

Sed est praeterea obstructionis huius generis tertia species, cuius caussa non inest in inflammatione, neque vigente ea, neque decrescente, et quae expers omnis aegritudinis inflammatoriae, inflammationem solutam iam ac penitus fugatam subsequitur, fontemque habet in arteriolarum vasorumque capillarium erethismo ex inflammatione praegressa

residuo. Accidit enim non adeo raro, vt, quum arteriae serosae vasaque inprimis capillaria inter inflammationem apertam acquirant et sensibilitatem, et irritabilitatem, et omnino verarum arteriarum naturam potentiamque assequantur, sublata etiam omni inflammatione maior, quam ex naturae instituto conuenit, iis maneat vitalitas et aucta praeter modum in perfungendo officio suo alacritas: qua fit, vt agente vel mitiori stimulo, ei, quae ex erethismo est, sanguinis congestioni fiat opportunitas. Quapropter saepe in iis organis, quae ex inflammatione optime conualuisse videntur, post aliquod tempus, vel non manifesta, vel certe admodum leui de caussa, inopinato prorsus subitoque exortum animadvertimus nouum tumorem, quem facile putare posses noua et reiterata inflammatione natum, nisi et febris deesset, et pulsus alius omnino esset, quam in inflammatione solet deprehendi. Nam et exacerbationes remissionesque adsunt nullae, nec pulsus durus ac fortis, sed debilis potius, contractus, qui fili metallici in modum sub digito oscillat, parvus, facile comprimendus et praeter modum frequens; nec desunt denique in ipso organo oppressionis, tensionis, caloris, interdum adeo ardoris punctionisque molestiae atque reliqua, quae auctam morbose illius sensibilitatem vasorumque capillarium erethismum produnt, signa. Cuius rei inter alia multa admodum illustre exemplum est in hepate, quod, praesertim in hominibus hypochondriacis, post admissum inprimis refrigerium, aut animum iracundia commotum, breui saepe paucarum horarum spatio, tanta humorum copia

obruitur obstruiturque, vt magnum in modum intumescat, et inter magnos aegrotorum cruciatus perpetui, at inanes veniant ad vomendum nisus, et vomitiones siccae, quibus non alio modo possumus mederi, nisi promouenda promta humorum effusorum resorptione atque euacuatione inprimis per ea, quae aluum ducunt; ad quam rem redeundi infra locus erit.

In hac igitur, de qua nunc loquor, forma obstructionis visceralis arteriosae vltima et suprema morbi caussa in arteriarum vasorumque capillarium erethismo est, quo intra breue tempus tanta organo adducitur sanguinis humorumque copia, quantam pari temporis spatio reducere nec venae queant, nec vasa resorbentia. Itaque quoniam haec ex congestione sanguinis obstructio, quando semel exorta est, duplicem caussam habet, alteram primariam, quae est in eo, quem commemoraui, vasorum adducentium erethismo, alteram secundariam, venarum vasorumque reducentium non plenam impotentiam quidem aut morbosam hebetudinem, sed tamen non talem facultatem resorbendi, quae iis, qui per arterias nimia copia ad partem affectam venerint, humoribus ad communem sanguinis penum illico reducendis sufficiat: intelligitur, duplicem quoque esse debere eiusmodi obstructionum curandarum rationem, quarum altera erethismum arteriarum sedandum spectet, altera augendum vasorum reducentium vigorem, optimam autem eam esse, quae vtramque illam prudenter coniungat.

Vt igitur illi consilio, quod primam feci curationis legem,

satisfaciat medicus, eiusmodi artis auxiliis, cum internis, tum externis opus est, quae satis magnam habeant erethismum arteriarum consopiendi facultatem. De quibus priusquam plura dicam, aptissimus hic videtur esse locus, quo aperiam qualemcunque meam de sanguinis detractionibus aluumque ducentibus in hac obstructionis forma vsurpandis sententiam. Nam variae sunt et admodum discrepantes inter se de vtroque remediorum genere in congestione ex erethismo nata medicorum opiniones; quandoquidem fuerunt et etiamnunc sunt, qui illa multum commendent, alii, qui vitari ea velint. Illi enim sanguinis emissione, laxantibus et antiphlogistico apparatu nihil prius habendum esse existimant, quibus solis, quod affectum sit, organon a collecta nimia humorum sanguinisque inprimis copia optime liberetur: posteriores autem illi, asthenicam potius, quam hypersthenicam aegrotationem istiusmodi congestionibus tumoribusque subesse rati, arcendam omnem curationem antiphlogisticam suadent ac seuere praecipiunt. Et habent profecto vtrique, quibus opinionem suam tueantur, argumenta, ab ipso adeo artis vsu et experientia desumta. Qui enim antiphlogistica laudant, non sine aliqua veritatis specie eorum haud admodum rara afferunt exempla, in quibus ex adhibitis sanguisugis tumor satis cito et manifesto subsidet, omniumque molestiarum notabile euenit leuamen: qui autem adhiberi illa vetant, itidem testem sibi faciunt experientiam, secundum quam nihil fit frequentius, quam vt morbus, etiamsi antiphlogistica curatione, eaque inprimis topica, ad breue temporis momen-

tum insigniter fuerit leuatus, paullo tamen post vna cum tumore recrudescat. In qua opinionum diuersitate ac discrepantia, idoneis haud destituta ad probandum argumentis, illud ipsum, quod in litigando accidit saepissime, euenire mihi videtur, vt in medio lateat veritas, neque in neutram partem ire possis totus, nec neutram pro falsa habere totam. Liceat igitur mihi meam super hac re mentem paullo diductius explanare, eaque in re sanguinis missionum inprimis aluumque euacuantium habere rationem.

Quod igitur attinet ad *sanguinis missiones*, iis quidem verissimum est nullo modo sedari posse arteriarum erethismum, in quo totius morbi caussam vltimam atque supremam inesse diximus, ideoque etiam, adhibitis iis, non posse obtineri perfectam seu radicalem, quam vocant, curationem: nihilominus tamen non negandum est, esse quasdam conditiones aegrotantium, in quibus topica sanguinis missio non solum admodum vtilis, sed omnino necessaria sit, non ad tollendam quidem interiorem atque veram morbi naturam, sed ad aegrotum molestiis, quae e tumore proueniunt, grauioribus leuandum, et ad praecauendum, ne in ipsius organi parenchymate sanguinis accidat effusio. Est enim huius morbi natura talis, vt erethismum, qui ei subest, statim atque illico compescere haud valeas, ne adhibitis quidem, quae ceteroquin in hunc finem praestantissima deprehenduntur, medicamentis; quandoquidem haec medicamenta non eo temporis momento agunt, quo sumta sunt, sed aliquam potius moram ad exserendas vires salutares suas poscunt.

Itaque saepe necesse est, vt ad arcenda grauiora incommoda sanguinem detrahendo palliatiuam, quam nominant, curationem instituas, donec quae contra morbum ipsum, i. e. contra veram ac primariam aegrotationis vasorum caussam atque indolem dederis, medicamenta, omnem efficacitatem suam prodere possint. Quapropter ea in re duplex haec seruanda lex est: primum, ne sanguinem detrahas, nisi vrgente vehementiori sanguinis congestione, inprimis versus nobiliora organa, quae exinde tumescere coeperint: deinde, vt in hunc finem non vniuersalibus, sed topicis tantummodo sanguinis missionibus, iisque hirudinum ope potissimum instituendis, vtaris, et, quantum fieri possit, ipsi organo aegrotanti proxime adhibitis. Habent enim eiusmodi locales sanguinis missiones hanc eximiam in hac obstructionis forma et admodum necessariam vtilitatem, vt singula tantum organa a nimio, quo onerata sunt, sanguine promte ac salubriter liberent, nequaquam autem mutent vniuersi systematis sanguiferi conditionem, quae tum fere semper talis est, vt sine sui ipsius detrimento sanguinis iacturam non ferat. Atque hoc quidem modo illa, quam supra commemoraui, de sanguine detrahendo controuersia componenda est et in artis vsum conuertenda.

Aluum autem *quae laxant* in ea, de qua loquor, obstructionis forma saepe commendantur propterea, quod alii antiphlogistica, alii deriuante virtute prodesse ea arbitrantur. Sed neutra virtute multum excellunt illa, minimeque tam late, quam topicarum sanguinis missionum, eorum patet

in nostro morbo vsus, isque arctioribus includendus est finibus. Antiphlogisticam enim si quis cuperet esse hac in re medicamentorum suorum virtutem, satius omnino prudentiusque faceret, si iis, quae antiphlogistica et vere sunt, et vocantur proprie, vt nitro, acido tartarico, aliisque similibus vteretur; sin deriuantem praeoptaret effectum, meliori profecto iure adhiberet ea, quae sanguinem ab organo congestione oppresso ad aliam quandam eamque remotam systematis sanguiferi partem s. prouinciam deducunt, qualia sunt pro caussarum, complicationum et loci inprimis, quem morbus occuparit, diuersitate, cataplasmata ad plantas pedum et pediluuia calida, fomentationes atque insessus tepidi, clysmata, rubefacientia, et quae sunt huius generis artis auxilia alia, inprimis externa. Quae cum ita sint, facile posset videri, aluum laxantibus in nostra obstructionis specie nullum plane locum esse atque vsum. Sed erraret vehementer, qui hanc opinionem suam faceret et defenderet acrius. Sunt enim casus quidam iique non adeo rari, in quibus prudens euacuantium administratio apertissimum morbo nostro nec diu moratum affert fructum, obueniuntque illi, mea saltem experientia, vix in aliis, quam in duobus visceribus abdominalibus, in liene, et omnium saepissime in hepate. Hoc enim viscere quacunque de caussa inprimisque ex vehementioribus animi commotionibus, quae inter iras, rixas et altercationes ortae illud peculiari modo afficiunt, irritato et repentina humorum congestione onerato atque tumente, nihil videmus aegrotantibus euenire salutarius, quam crebras

ac largas deiectiones aluinas fluidi seroso-biliosi, quibus vix dici potest quantopere illi leuentur, quamque subitum tumor hepaticus ex iis capiat decrementum, et omnis morbus felicem finem; vtiturque ipsa natura hac in re spontaneo quodam et critico ad hepar exonerandum nisu, quem nos medicos imitari fas est et officii nostri religio. Itaque prudentissimi quique medici diligenter ea in re sequuntur viam, ab ipsa natura monstratam, nihil curantes aduersariorum opinionis suae saepe tenacissimorum opprobria, et humoralium, quos barbare vocant, medicorum, imo etiam patronorum alui perpetuo laxandae contrariorum nomen aequissimo animo ferentes, dummodo sua arte valetudinem restituant aegrotantibus. De qua medendi methodo hoc vnum monendum restat, ea inprimis esse vsurpanda, quae, dum superiorem tractus intestinorum partem modice tantummodo stimulent, humores in hepate collectos leni modo ad illum alliciant, fugienda autem esse ea omnia, quae fortius stimulando, stimulumque suum ad partes vicinas propagando maiorem humorum affluxum ad organon affectum efficiant et praesentem iam in eo congestionem augeant. Itaque adhibenda potissimum sunt pulpa tamarindorum et cassiae et, quae ex his parantur, electuaria, quae dicuntur lenitiua, e salibus autem cremor tartari communis et boraxatus, liquor terrae foliatae tartari et sal Seignette, prò casus et ipsius aegroti diuersitate, vel in infuso foliorum sennae satis tenui soluta, vel mixta blandissimarum mellaginum, vt taraxaci aut graminis, solutioni; absunto autem inter salia tartarus vitriolatus, sal

mirabile Glaub. et magnesia sulphurica, et ea medicamenta vegetabilia omnia, quae multum incitant, drastica, drasticamque vim suam vel principio acri debent, vel resinae acri, vt ialappa, aloe, et quae sunt huius generis alia, et ipsum adeo rheum.

Candidatus, cuius commendandi caussa hanc scriptionem emisi, est Vir Praenobilissimus et Doctissimus

HENRICVS AVGVSTVS MOECKEL
AVERBACENSIS
MEDICINAE BACCALAVREVS

qui honoribus ei ab Ordine Nostro decretis vere se dignum probauit, et diligentiae laudem morum probitate ac modestia auxit. De vitae studiorumque suorum ratione ad Nos ita perscripsit:

Natus sum Auerbaci in Vaticis, anno huius seculi primo, patre IOANNE AVGVSTO, *mercatore et ciuitatis consule, quem septem abhinc annis praematura morte mihi ereptum pius lugeo, matre* CHRISTIANA CAROLINA, *e gente* FREISNERIANA, *quae vt ad remotissimos vitae annos salua sospesque mihi maneat, Deum O. M. ex animo precor. Primis religionis christianae litterarumque elementis partim in schola publica, partim priuata institutione a* MEYERO *et*

Franko imbutus, anno h. s. XV., vt arti pharmaceuticae operam darem, in disciplinam patrui, pharmacopolae Auerbacensis traditus sum, eoque paullo post defuncto, missus ad Troemervm, pharmacopolam Plauensem doctissimum honestissimumque; in cuius officina cum tirocinium deposuissem, primum Ludoviburgi in Würtembergicis, deinde Bernae Helvetiorum, denique Argentorati artem pharmaceuticam exercui.

A. h. s. XXV. summo artis medicae, ad quam iam dudum inclinauerat animus, amore impulsus, Lipsiam veni, ciuibusque academicis adscriptus a S. Ven. et Ill. Beckio, t. t. Rect. Magn., in litteris humanioribus praeceptores habui b. Beyervm et inprimis Clar. Guenthervm, cui fautori optimo pro summa, qua me ornauit, humanitate ac beneuolentia consiliorumque prudentia et vtilitate maximas debeo gratias; in philosophicis autem S. Ven. et Exc. Krugivm, nunc Rectorem Acad. Magnificum, in botanice, entomologia et zoologia Exc. Schwaegrichenvm et Exc. Kunzevm, in physice Exc. Brandesvm et Clar. Fechnervm, in crystallographia Exc. Naumannvm, in chemia Exc. Eschenbachivm, Ord. Med. Seniorem Grauissimum, et Exc. Erdmannvm. Deinde anatomiam cum theoreticam, tum practicam Exc. Webervs et Exp. Bockivs me docuerunt, physiologiam idem Webervs, anthropologiam Ill. Heinrothvs, pathologiam

Exc. Wendlervs, materiam medicam Exc. Haasivs, therapiam generalem Exp. Ochsivs, specialem Ill. Clarvs et Exc. Cervttivs, ophthalmiatriam Exc. Kvehnivs et Exc. Radivs. De aquis Germaniae soteriis Exc. Kvnzevm disserentem audiui, qui praeterea multa mihi amicitiae et beneuolentiae documenta exhibuit. In doctrina de morbis infantum et arte obstetricia, et theoretica, et practica Ill. Ioergivm, in chirurgia tam theoretica, quam practica Exc. Kvhlivm, in arte fascias applicandi Exp. Carvm, in operationibus ophthalmiatricis Exc. Ritterichvm et Exp. Carvm, in morbis syphiliticis Exp. Friderichvm habui praeceptores. Exercitationes examinatorias de rebus practicis mecum instituere Viri pie colendi, Exc. Haasivs et Exc. Kvhlivs, quorum eximium fauorem atque amorem fere paternum, quo egregie de me commeriti sunt, non possum non summis extollere laudibus.

Scholas clinico-chirurgicas Ill. Claro, Kvhlio et Wendlero ducibus, clinicen obstetriciam Ill. Ioergio moderatore, scholam ophthalmiatricam Exc. Rittericho, et policlinicam sub Exc. Cervttio frequentaui, et policlinicam obstetriciam sub Exp. Meisnero, qui magna amicitia et benevolentia me amplexus est. His dilectissimis praeceptoribus fructuosissima institutione et magno in me fauore optime de me meritis, inprimis autem Exc. Kvehnio, Exc. Haasio, Gratiosi Medicor. Ordinis h. t. Decano maxime spectabili,

quem mihi in inaugurali solemnitate mea Perillustrem quoque Procancellarium contigisse magnopere laetor, et Exc. Webero, qui Viri stipendiis quoque me ornauerunt, animum ad cineres vsque spondeo deditissimum. Ad finem curriculi academici fortunae fauore euenit felicissime, vt Exc. Cervttivs, cuius consiliis etiam in scribenda dissertatione mea multum adiutus sum, amanuensis munus in aegrotis priuatim visendis et curandis mihi demandaret; quod Viri illius erga me beneuolentiae, fauoris et humanitatis documentum cum nullo modo possim remunerari, hac certe occasione ita vtar, vt eius memoriam nullo tempore obliuione apud me iri deletum, nunc publice spondeam. Exeunte anno h. s. XXVII. examen theoreticum pro obtinendis Baccalaureatus honoribus, mense autem Augusti anni praesentis alterum tentamen, quod practicum est, feliciter superaui.

Atque cum Nobis probasset diligentiam et doctrinam egregiam, factum est, vt ex vtroque examine discederet vnanimi Collegii Nostri iudicio prima censura ornatus, veniamque capessendorum summorum Ordinis Nostri honorum verissimo merito suo consequeretur. Itaque d. XIV. mens. Decemb. Disputationem publicam habebit, in qua inauguralem Dissertationem suam *de Diosma crenata, Oleo Crotonis Tiglii et Carbone animali* defendet sub auspiciis Exc.